



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

7. Prælati cura de conuentu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

hodie multos prælatos facere experientia docuit. Vnde & si nobiles aliquando sint vtilis, bona temporalia defendendo; tamen si fatui sunt & mali, magis sunt noxij, bona spiritualia dissipando.

*Quòd prælatus magnam curam debet habere de conuentu.*

CAPVT VII.

**Q**ui congregationi præest, multam curam de conuentu debet habere. Valde reprehensibilis est, si cōuentui, iuxta facultatem monasterij, necessaria non ministrentur; cūm conuentus pondus diei & æstus sustineat: Qui auferit in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Conuentus est vt iumentum, cui dominus infidet. Saluator enim manet in communitate. Bernardus. Amator communitatis & commendator, quomodo communitatem defereret? Idem. Non amat veritas angulos: nec ei diuersoria placent: in medio stat. Communi vita, communibus studiis delectatur. Inhumanum est, vt iumento necessarium pabulum subtrahatur, cui onus imponitur, & flagellum virgæ adhibetur. Valde reprehensibile est, quòd filiis Belial, qui iugum fregerunt, vincula rupe- runt, & dominum proiecerunt, superflua ministrentur: sustinentibus verò dominum, & ei obsequentibus necessaria subtrahantur. Non decet hoc regem gloriæ: nec fidelem seruum reputat, qui familiæ eius cibum, & alia necessaria non ministrat in tempore. Non est secundum legem Dei, quòd os boui trituranti infrenetur:

*Eccl. 34.*

*Serm. 4. in Epiphan. Domini, parum ante mediū. Serm. 6. ascens. Domini à meo.*

V quod

*Act. 4.**Num. 22.**Cap. 36. in  
prim.*

quod præcipuè cauendum est, vbi vituli lasciuientes delicatè nutriuntur. Non est æqua partitio inter eos qui in vnum monasterium conueniunt: quando vnus esurit, & alter ebrius est. De communitate illa, cuius rectores fuerunt Apost. legitur: Quòd nullus egens erat inter illos, diuidebantq; singulis prout cuiq; opus erat. Per hoc quod necessaria conuentui non prouidentur, multa mala proueniunt. Prouenit inde murmur; nec mirum, cum asina Balaam, Propheta eam iniustè cedente, conquesta sit. Sequitur etiam euagatio conuentus. Aliquando enim pro defectu, qui modico posset suppleri, refectorium euacuatur; & cum magnis expensis, & cum magno detrimento religionis, fratres per cameras disperguntur: & etiam datur eis occasio vt proprietarij esse velint.

*Quòd praelatus debet infirmis necessaria prouideri.*

## CAPVT VIII.

**C**irca infirmos maximam curam debet habere qui præest. Vnde B. Benedictus in regula sua: Infirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est. Cùm inter miseras præsentis exilij, quæ sunt fames, sitis, frigus, labor, infirmitas excedat; magnitudo verò miserie debeat ad misericordiam prouocare; misericordia circa infirmos debet esse. Item cum religio munda & immaculata apud Deum & Patrem sit, visitare pupillos, & viduas in tribulationibus eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo: & plus quàm pupillus sit, qui non solum patrem & matrem, sed etiam omnes amicos deseruit.